

7. Sekundärliteratur

Historiae Collegii Philobiblici Lipsiensis Pars 1.

Illgen, Christian Friedrich

[Leipzig], 1836

Appendices.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

maiora huiusmodi commoda ipsi ecclesiae Evangelicae sunt parata. Quamquam illius aetatis Pietismum, qui dicitur, a Collegio Philobiblico ex parte profectum, maculis quibusdam adpersum fuisse et magis magisque in dies degenerasse, nullo pacto potest negari: maximam tamen vim habuit pariter ad disciplinas theologicas, praecipue practicas, atque ad ipsius ecclesiae Evangelicae salutem. Huius autem vis et efficacitatis haud minima pars debetur sane Collegio Philobiblico Lipsiensi.

APPENDICES.

I.

Epistolae Speneri ad Collegium Philobiblicum scriptae.

A.

Ad M. P. Antonium de studio Biblico, quod aliqui apud M. P. A. convenientes habeant).*

Illud porro inprimis in literis tuis me delectavit, quod video et Te ipsum singulari studio in sacrum Codicem ferri, et ad eandem diligentiam alios isto exemplo commotos, dum scribis, aliquot Magistros singulis Dominicis apud Te convenire et exercitium Biblicum instituere. Pergite, optimi, hac via ad Coelum iri, imo hac etiam semita ad veram et internam Theologiam penetrari certissimi. Cum alioqui, si quid academiis plerisque defuit, hoc defuit, quod Biblicum studium, si non neglectum, certe aliis plerisque postpositum est. Unde superiori anno illustris Seckendorffius in libro suo, quem de Christianorum statu edidit, rectissime colligit, si defectibus gravibus admodum Ecclesiae nostrae medela adhiberi debeat, post visitationem

adversus M. Francum iactant suam diligentiam: vellem ergo ex fida relatione et certa scire, quid veri subsit, et quid singuli Professores publice et privatim docuerint, ut ex in sententiam ferre possim, muneri suo diligenter satisfecerint nec ne; inprimis quousque D. Carpzovius in Esaia suo iam profecerit, nec non quae ratio collegii privati sit, quod instituit in epistolas Paulinas; praeterea cum D. Alberti Theologiae Professor sit extraordinarius, quid eo nomine dignum agat publice vel privatim.

* Haec est epistolae inscriptio in schedula. (Vide, quae p. 11 sq. et Not. 19. de hac re commemoravi). In *Consil. theol. Lat. T. I. p. 243—245.* sic inscripta legitur: *Laudatur amici Academici studium Biblicum et institutum cum aliquot commilitonibus exercitium, cuius circa methodum quaedam observantur, ex usu methodi Francofurtensis.*

F

institutam academias ita ordinandas, ut sacris aliquando ministeriis destinati ante omnia ad studium Scripturae diligentes manuducantur, et potius omnibus aliis, quam huic unice necessario studio aliquod temporis dematur. Quod monitum sane aureum cunctis Doctoribus semper ante oculos obversari, vel potius animis inscribi opto. Cum vero suffragium meum atque consilium expetis, illud quidem facile ferre possum, nimirum me et laudare institutum et optare, ut quam plurimos imitatores reperiatis. Quod vero attinet hoc, nescio, an plane expectationi vestrae satisfacere queam, qui methodi, quam sumsisisti, ex transcriptis non plene gnarus sum, adeoque difficilior, quod commodius secusve fieret, discernere valeo. Ut vero videas, quam nolim petito tuo deesse, paucis tantum animi mei sententiam expromam ad ea, quae de tractationis modo consignasti. 1. Iustissimum et plane Theologis dignum est, quod a precatione ordimini; cum enim non alio Spiritu recte intelligantur Scripturae, quam quo primum inspiratae sunt, utique invocandus hic est, a quo lumen omne expectandum, in quo divina spectanda sunt. Et sane, qui filiis suis Luc. II. inprimis Spiritum Sanctum rogatus largiri promisit, illis gratia sua non defuturus est, qui serio studio id unum in sacro Codice quaerunt, ut in salutari DEI cognitione proficiant; nam hoc quoque ante omnia menti diligenter imprimendum est, ad id, ut Scripturam tractemus utiliter, apprime necessarium esse, ut debita legamus Codicem divinum intentione, nimirum non ut curiositatem pascamus, vel ad ostentationem utamur scientiae acquisita, sed ut omne illud impendamus, quod discemus, honori divino, propriae animae saluti et novi hominis (cuius haec esca est) incremento, nec non curae de proximo nobiscum aliquando ad DEUM adducendo. Quae vero non hoc animo quaeritur sacrarum rerum cognitio, vel plane non impetratur, vel viva non est, nec profunde ipsi animae infigitur. 2. Quod attinet ad libros V. T., absit, ut illorum auctoritatem vel *αὐθεντίαν* in dubium revocem, qui confiteor, Spiritum DOMINI locutum esse per Prophetas: mallet tamen suadere, ut huius pii exercitii initium vel a solo N. T. fiat, vel saltem hoc longe plus temporis prae illo sibi vindicet, donec, profundius imbuti veritate coelesti longe clarius in N. T. revelata, cum fructu ad umbras Veteris accedamus. 3. Una vice vel hora integrum caput absolvi minus crederem, vel perfunctoriam operam metuerem: potius si scopum intentum assequi velimus, vix paucis versibus una hora sufficet. Talem enim cibum illum coelestem tantaque dignitatis esse credo, ut non maioribus bolis deglutendus, sed per minutas particulas masticandus sit, ut et dulcedinem eius recte sentiamus gustemusque et eius arcana virtute nutriamur, quod ut fiat, utique immorandum est diutius. 4. Methodum tractationis vix aliunde rectius colligemus, quam exemplo D. Sebast. Schmidii, qui inter exegetas suo merito familiam ducit. Hic vero, postquam de totius libri capitivae generali oeconomia egit, ad singulos versus descendit, in his ante omnia *συνάφειαν* notat, ex qua praecipuum ad sensus *ἀσφάλειαν* lumen, inde singula verba exa-

minat et de sensu eorum dispicit, tum locos, quos vocat, communes non unius generis extrahit, est etiam, ubi Paraphrasin adornat, in qua totius expositionis nucleus reperitur. 5. Memini, me quoque cum aliis Amicis aliquando Francofurti tale exercitium instituisse, suntâ, quam expenderemus, prima Iohannis mellitissimi Epistola. Observabamus autem istam seriem, ut 1. notaremus varias versus, qui prae manibus esset (nam alium post alium examinabamus) lectiones, tum si qua inter versiones occurreret differentia, de qua demum, omnibus rite expensis, iudicium ferebatur. 2. Singulae voces expensae, et ex parallelis locis, vel ubi alias recurrunt, empha- ses notatae, atque ita omnia ea evoluta, quae ipsum sensum literalem concernunt. 3. Inde ad *πορίσματα* transitum est, et initio quidem formatae sunt propositiones dogmaticae, magno saepe numero, non eae solum, quae immediate in textu depre- henduntur, verum etiam quae consequentiarum legitimarum medio inde eliciuntur, ita tamen, ut nimium longe non liceret a textu recedere. Huc referri etiam possunt ea, si qua loca vel propositiones in Polemicis suum usum habent, et fundamento sub- sterni possunt earum rerum, quae ab adversariis impugnantur. 4. His subiectae sunt aliae propositiones practicae seu vitae Christianae regulae, aut priorum theo- rematum applicatio ad praxeos non unum genus. 5. Demum in Paraphrasin paulo liberio- rem, quicquid ad sensum loci videbatur spectare, collegimus: quod sane studium usum non contemnendum habet. Hanc methodum, quae tum nobis probata, si aliis eam imitari placeat, non absque fructu fore crediderim. 6. Utile hoc quoque depre- hendi, ne unus pleraque agat vel omnia, sed ut libere symbolas suas conferant, qui- cunque intersunt. Praesidis officium, vel, si nullus certus sit, eius, quem singulis vicibus ordo arbitrarius vocat, foret, ut pericopen aliquam et dein singulos versi- culos praelegeret, inde vel a singulis circa ea, quae aguntur, sententiam requireret, vel, ut quisque pro lubitu in medium proferret, moneret, quae communi consensu tex- tui convenire statutum, consignaret, ubi non convenitur, iteratae excussioni submit- teret, vel etiam sua sententia obsignaret. 7. Longius in vireta Philologica exspa- tiari, vel profundius mergi Polemicis, ab hoc instituto alienum reor, sed ex illis ex- cerpenda, quae ad sensus certitudinem vel fructuum ubertatem conducunt, circa haec notanda sunt, quae ea tractantibus usui esse possunt, non vero data opera tractan- dae ipsae controversiae. 8. Qui cum invocatione divini Numinis sacrum hoc exer- citium orsi sunt, omni iure, cum finiunt, coelesti gratiae gratias agunt, et ut ei- bus hic praemansus operatione Spiritus S. rite porro concoquatur, hunc pie invocant. 9. Qui ad sua ab eo exercitio redierint, non solum ruminari debent, quae acta sunt, sed in eo singularem studii sui collocare fructum, ut se explorent, quam se de veri- tatibus illis divinis in animo suo sentiant convictos, nec non utrum ad regulas istas, quas notarunt, affectus suos, cogitationes, vitam, verba exigere soliti sint, vel qua in re defecerint: ut ita in semet ipsis primam virtutem verbi huius, sanandis pro-

priis defectibus, sentiant, qui parantur, ut aliis aliquando eandem medicinam applicare noverint. Si qui etiam se invicem intimius et familiariori amicitia norint, non prohibuerim, sed potius tanquam saluberrimum medium suaserim, ut istam explorationem inter semet instituerent, et alter alterum, cum saepius se observent, in ea utilius instituenda adiuvent. Ita fere sunt, quae hac vice de eo argumento inciderant, quae pro meo in te affectu et fiducia, licet neutiquam exulta, communicare volui, quibus tu cum commilitonibus tuis pro arbitrio utere, vel quae aliunde prudentius suggerentur, iis libere substitutes. Deum precor, ut sua gratia nos omnes magis magisque assuefaciat ita attendere verbo tanquam lucernae in tenebroso loco lucenti, ut dies illucescat et phosphorus oriatur in cordibus nostris, imo ex verbo suo, lucis inexhausta abyssus, cordibus nostris, qui alios aliis docendis paramus, eam lucem infundat, ex qua vicissim apud alios resultet *φωτισμός τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ*.

7. Septembr. 1686.

B. *)

*Ad membra Collegii Biblici Lipsiensis, de methodo et ratione illud
maiori forsitan utilitate agendi.*

Sicuti singulari meo gaudio sub ipsum pene in oras has ingressum factum est, ut de instituto vestro, interprete plur. Rev. M. Antonio, quaedam cognoscerem, ita toties apud me eadem laetitia renovata atque aucta est, quoties amici de consilii atque operis successibus optatis ad me scripsere vel retulere. Credidique a prima mox hora, et in eadem persevero persuasione, sementem vos facere, quae divina accedente gratia in ditissimam aliquando messem exerescat, imo usum non ad vos solos, et qui vobis adsunt, redundaturum, verum explicaturum se latius, inprimis ubi exemplo vestro alibi pariter alios inflammatos conspicabimini. Unde voluptati mihi etiam fuit, cum Aprili proximo exercitio assiderem vestro, et numerum confluentium intueri, et ex iis, quae proponi audiui (quantum nempe attentionis plures aliae, quibus tota die distingebar, curae mihi permittebant), studium vestrum, quod sacris literis impenditis, intelligere. Quamvis ergo in consessu vestro, animo in tot alia diviso, ut verba facerem, vel votis vestris, quibus excepistis praesentem, responderem, integrum non fuerit: confestim tamen mecum constitui, scripto vos alloqui et, quam mihi cordi sitis, serio testari. Uti vero vobis ignotum esse non potest,

*) Vid. *Consilia theol. Lat.* T. II. p. 696 — 703.

quod, ut de tempore meo pro arbitrio proprio disponam, varia, quibus subinde occupor, vix permittant, ita, quod eodem mense facere constitueram, altero iam elapso demum praesto. Omne vero harum literarum circa illud inprimis occupatur, ut, quantum illa industria mihi probetur, vobis significem, et si currentes calcaribus egere viderentur, ut strenue pergatis in coepto tramite, porro vos incitem. Confirmare vos potest in labore vestro, praeter proprium fructuum, quos iam haud dubie delibastis, experimentum, certa spes illorum, qui, ubi propositum prosequimini, haud dubie ex benedictione divina progerminabunt longe uberiores. Dies enim diem docebit, et subinde ratione methodi experiendo ea discetis, quae maiori posthac cedant usui et exercitium vestrum semper reddant fructuosius. Inprimis, postquam Maxime Reverendi D. Alberti praesentia, quam accipio vobis iam fere indulgeri perpetuam, non solum congressus ornat vestros, verum etiam haud dubie consiliis proficuis vos iuvabit. Sane Venerando Viro et vos plurimum debetis, qui amorem suum isto etiam modo declarat, et debet etiam publicum, cum auctoritatem praestat exercitio tam salutari, exemploque suo hic et alibi alios excitabit, qui ista pariter ratione sanctos conatus eorum, qui Sacris se devovere literis, iuvent promoveantque. Quamvis vero ipsum hoc, quod Doctorem longo docendi usu praestantissimum, et quem ipse a pluribus annis in pretio habeo semperque habebo, vobiscum habetis, qui et consiliis suis vos instruat et monitis excitet, me abstinere posset, quo minus meam etiam *προσφώνησιν*, qua non egere videmini, adiciam: aliud tamen persuadet tum Excellentissimi Viri in me quoque fiducia et affectus, ex quo aegre non feret, me Vobis etiam loqui, tum vestra erga me confidentia, cum superiori anno me pariter in consilium vocare dignaremini meamque eo de argumento epistolam non ingratam fuisse testaremini. Unde plane certus sum, indigne vos non laturos, quod iterum, quae mihi circa exercitium hoc videantur, vel ex priori repetam, vel ex iis, quae hactenus oblata sunt, adiciam. Ante omnia alia spero, Vobis universis semper ante oculos versari instituti finem nobilissimum et argumento tam sancto, quale est sanctissimarum scripturarum tractatio, dignissimum. Hic enim utique non alius est, quam vivida rerum divinarum ex revelatione scripta cognitio atque in hac incrementum, ut adeo piis exerciti colloquiis subinde in penetralia regni divini profundius penetretis, vivo Christi Spiritu induti atque animati; post hunc vero, ut alios simul auditores ad parem usum vestro exemplo suaviter pelliciat, quo et isti ardentius Spiritus coelestis ope fontes legere studeant eiusque abundantiores exinde mensuram hauriant: utrique futuri aliquando digna DEI organa, quae et suam et aliorum salutem in ipsius virtute promoveant. Hic finis si in conspectu semper sit, omnis *ἀσχολία* feliciter cavebitur, ne quis unquam in exercitio tam pio suae aliquid laudis vel gloriae, ostentatione eruditionis Theolog. vel Philolog., Philosoph., seu eloquentiae etiam quaerat captetve, aut quicquam aliud, quod ab ista semita seorsum

it, obliqua via sectetur. Ut vero hoc etiam eo diligentiori studio obtineatur, omnibus omni opera eo enitendum et ad hoc coelestis Patris gratia exoranda est, ut in lectione quoque et meditatione privata ab eodem nusquam aberretur scopo; id enim si fieret, difficulter idem evitaretur scopulus, ut non in enarratione publica animus plane idem se proderet magnamque fructus, alioquin exoptandi, partem corrumpere. Ex hoc ipso facile fluit, ad veram praxin dirigenda esse omnia, et si qua in re, certe in hac verum esse, quod vanitas sit, tantum ut scias, nec ulterius id dirigas scire. Sane Scripturae totius ille scopus est, non ut sciolos efficiat, sed sapientes et prudentes, adeoque ad veram fidem et charitatem homines ducat, quarum utraque in praxi quam theoria potius consistit, imo per hanc semper ad istam tendit. Non ergo aliter conformamus nos Scripturae scopo, quam si ad praxin aequae utrimque convertamus oculum. Exinde facile quis colliget, cum inter alios in coetu vestro verba facienda sunt, cuius incumbere, ut sedulo secum reputet, quae proponere constituit, tantine sint, ut mereantur proponi audiri, et vel proxime vel saltem remotius aliquid ad veram fidei aut fructuum eius praxin faciant. Unde flosculos amoenos et pulcellos, post quos nulli fructus expectandi sunt, quovis potius relegatos desiderarim, quam ut vestro in horto plantentur, in quo ad usum transferenda sunt omnia salutarem. Ita Criticas Observationes non equidem parvi facio, meminique illas ad genuinum sensum, omnium *πορισμάτων* fundum, eruendum plurimum contribuere adeoque omnino utiles esse; imo non raro contigit, ut notula aliqua Critica paucorum verborum, ubi textum aliquem evolvebam in autore, qui tamen practica non tractaret, perspecta occasionem praeberit mihi meditationum valde proficiarum, quas nec aliorum prolixiores tractationes suppeditassent. Ast optarim circa illas etiam teneri, ut decet, modum, ita ut nec immoremur illis, quas mox prospicimus steriles esse et curiositatem tantum pascere, nullo post se relicto usu, nec maiorem temporis partem consumamus in iis, quae cum usum habent, ille tamen ad alios collatus exiguus deprehenditur. Inprimis cum plus isti literarum generi indulgendum credam, ubi nostris privatis incumbimus studiis; tunc enim varia tentanda et excutienda sunt, an aliquid in usum transferre queamus, quod non semper primo apparet obtutu: aliam tamen rationem Collegii vestri esse iudico, in quo non quaevis proponenda fuerint, sed ea tantum, quae qui proponit, iam proficua agnovit et aliquem eorum gustum sensit, reiectis omnibus iis, quae quidem meditatus est, sed sine singulari fructu esse deprehendit. Talia enim cur proferret, cum vix aliud exin reportaret, nisi hoc, quod *πολυμαθίας* laudem apud aliquos obtineret, apud quosdam etiam captare velle crederetur? Haec vero fugienda, ex prioribus etiam satis constat. Inprimis cum rerum salutarium in textibus sacris ea sit ubertas, vicissim aetatis nostrae brevitates, cumprimis autem horarum, quibus colloqui potestis, angustia, ut merito in damno ponendum sit, si qua momenta impendantur iis, quibus facile carere audi-

fores potuissent. Quin imo in ipsa privata industria seriam piamque meditationem saepe hoc impedit, si in istis obscuris plerumque et dubiis diutius mens haereat. Talia enim ab ipsa re subiecta eiusque penitiori cognitione istam avocant, distrahunt atque ad materiae ipsius attentam devotamque considerationem difficulter admittunt. Cum vero praxin dico, ad quam omnia dirigenda sint, non aliud volo, quam cuncta, quae divinitus sunt scripta, ad imaginem divinam per fidem in pectoribus nostris restaurandam et magis magisque innovandam referri, adeoque a nobis etiam, cum ista tractamus, non aliud, quam ut hoc fiat, studiosius quaerendum esse. Sane dictum nullum facile est, nulla historia, quae non directe vel indirecte huc respiciant. Vel enim in vitiis atque peccatis describendis sistitur deformitas mentis nostrae larvaque diaboli, quae imaginem divinam, e pectoribus nostris per peccatum eiectam, excipit, a qua abhorreamus, illorum exemplo cauti; vel in actionibus piorum referendis pingitur vel tenuior vel plenior, pro varia gratiae mensura, genuina imaginis coelestis reparatio. Quo tendunt utriusque Testamenti promissiones intimaque fidei verae in CHRISTO indoles. Quare fieri non potest, quin lector huic curae adsuetus in dictis, factis, promissis, vel quicquid denique ei offertur, vel plura vel aliqua momenta, nunc haec, nunc illa, eo pertinentia deprehendat, atque hoc pacto ansam sibi dari intelligat ad praestantissimas meditationes, quibus tum lectoris animus moveatur, tum auditorum affectus accendantur: quod nunquam praestiterint lucis huius imperiti et inexperti, meris scilicet ac nudis speculationibus impliciti et submersi. Quod ergo plures iucunditatem harum meditationum et explicationum, nec minus, ob innumeras affectuum divinorum, in Scriptura nullibi non obviatorum, circumstantias, suavissimam varietatem non sentiant, neque adeo lectorum vel auditorum pectora dulcedine Spiritus perfundantur, ut illius gustu ad ardentius fontium studium inflammentur, vix aliunde venit, quam quod alio plerumque, atque oportebat, animo ad literas divinas accedunt, unde nec imaginis divinae radios in istis, ubi fontes cumprimis consuluntur, ubique splendentes agnoscere vel depingere valent. Si ad alia descendendum est, fateor, mihi non satis constare, quo Commentarii apud vos loco sint. Meam si sententiam expromere debeam, non nego, in illis etiam, si cum selectu et iudicio adhibeantur, reperiri, quod ad intelligentiam sacrorum textuum faciat, non contemnendum subsidium. Unde et Doctor meus Danhauserus in Hermeneutica Sacra Commentarios non omnino exclusit, ita scribens: Commentarii in hac Hermeneutica ultimum locum occupant, ad ornamentum potius faciunt, quam necessitatem. Delectat interpretem, si quem e reliquis interpretandi mediis sensum indagavit, habere se, qui suffragentur, vel quos aberrasse deprehendere possit. Verum enim vero Commentariorum variorum prolixiorumve longum scrutamen, in studio hoc Biblico et pro meliori Collegii indole, abesse et seponi tantisper satius existimo. Quippe dum Lector variarum sententiarum in Commentariis commemoratarum abyso immergitur, emergere exinde facile non potest sine medita-

tionis piae et fructuosae damno. Varias enim opiniones mente comprehendit, neque pervidet ubique, quae sit praeferenda reliquis. Abstinere itaque vix potest, quin multae lectionis etiam laude captus catalogum variarum expositionum publice contextat, quod meditationis fructum mirum quantum impedit. Accedit, quod Lector sensim assuescat hac ratione, aliena magis et humana colligere, quam divina piâ industriâ scrutari. Collectanea itaque sine iudicio saepe congesta habebit, cum putaverit, se digna meditatione instructum esse. Atque incautus sibi met ipsi potius damnum creabit et auditorio, praeterquam quod tempus Lectori praeripitur, dum per vasta volumina vagatur, attentae suae devotaeque meditationi impendendum. Fit etiam saepius, ut post illam variarum opinionum collectionem ad textum reversus se ineptum sentiat ad accuratum textum examen. Cum enim mens alios iam imbibere variosque et saepe turbidos humores, quibus corruptus gustus, limpidiore ex fontibus hauriendus, vix amplius sapit. Unde haud aliud amoenius, fructuosius Collegio huic auditorio, nec non tempori huic convenientius futurum esset, quam si, praemissis piis precibus privatis, in ipsis Fontibus sacris longum contextum, et affectum scriptorum sacrorum, vel de quibus sermo est in textu, longâ serie devotaeque attentione observent, eumque affectum assumere studeant. Quo pacto cogitationibus omnibus collectis atque in rem praesentem ductis, fidei et imaginis divinae varias notas, momenta, circumstantias cum voluptate maxima, nec non fructu uberrimo notabunt eundemque affectum facile induent. Prorsus in hanc rem faciunt illa Megalandri nostri Tom. 3. Witteb. f. 142.: Scio futurum, si quis exercitatus in hac re fuerit, plura per se inventurus sit, quam omnes omnium Commentarii tribuere possint. Video Divum Bernhardum hac arte praestitisse (qui scilicet affectus sacros suis affectibus attemperaret et accommodaret) et omnem suae eruditionis copiam hinc hausisse. Idem et in B. Augustino et aliis olferi puto. Quare et nos ex eodem fonte bibere oportet has aquas vitae. Admonet me Lutherus noster verbis his alterius magistri mei Danhauseri, qui interpretem suum inter alia ita instruit: Iugi ac assidua Lectione scriptor quasi e mortuis excitandus atque ad vivum repraesentandus est, ut, quod non possumus reapse, saltem animi conceptu ac *ἀντιβολῇ* consequamur; atque ideo cum legimus sacras literas, simul indaganda sunt icon animi scribentis, quo animi affectu, quo statu vitae, qua sorte fuerit tunc, cum haec talia exararet. Paulo post addit: utinam hanc operam aliquis oraculis divino afflatu dictatis daret, quam tribus Poëtis Satyricis, Horatio, Iuvenali, Persio, dedit Casaubonus in proleg. in Pers. et accurato studio nobis repraesentaret singulorum Scriptorum S. indolem, ingenium, fata, mores, affectus. Nimium librorum hactenus editum est, sed minimum eorum, qui adhuc iuste desiderantur. Mox: induendus interpreti animus illius, quem interpretatur, auctoris, ut illius quasi alter idem prodeat. Semel iterumque dictum, quod ad usum praxinve dirigenda sint universa; hoc vero tanto commodius futurum existimo, si lector in usibus seligendis enumerandisque unum aliquem praecipuum plenius atque fusius paulo diducat, quod e re futurum lectorum et auditorum, ut adeo certi aliqui

aculei ex pleniori atque planiori egregii istius usus diductione ac inculcatione in pectoribus auditorum relinquuntur. Atque ita universim, res mea si foret, exercitium totum formarem, ut ea vix delibentur, quae fructus singularis non sunt, aut omnino omittantur, omni diligentia impensa evolutioni sensus ipsius et deductioni porismatum variorum, quae vel fidem confirmant, vel eius promovent fertilitatem, ita tamen, ut, quod modo dictum, uni prae reliquis inhaereatur, idque cum cura inculcetur: reliquis tamen pariter non tam obiter modo recitatis, quam, quantum necesse est, explicatis; nam si temporis compendium faciendum sit, aliis potius quam huic curae aliquid detrahendum existimarem. Ceterum cum ista moneo, Amici optimi, nolim vos ita suscipere, quod institutum vestrum nunc demum corrigam, sed, quia praeter leges mecum communicatas, quis semper agendi circa singula modus servatus sit, non plane novi, nec unica horula nuper, quantum satis est, pernoscere valui, oro, ut boni consulatis, quod iterato exponam mei circa ista omnia animi sensus, uti Candor vestrique amor me iussere. In omnibus si hactenus methodus et ratio agendi vestra cum ea convenit, quam videtis mihi videri optimam, etiam gratulabor mihi, quod idem sentiamus, et quod ego desidero, vos iam pridem feceritis. Si vero in nonnullis ista abierit ab eo, quod fieri hic cupio, vestrum erit dispicere, in eodem tramite pergere, an nonnihil ab eo deflectere et commodiorem semitam ingredi praestet. Paucula iam prioribus addam ex eo, quod nuper vobiscum fui et saltem unum alterumve in externis observavi, quod forte commodius institui posset. Audiavi ex charta praelegi, quae quisque domi prae-meditatus erat: addubito tamen, an morem illum perpetuo servari conducat. Non nego, si elegantiori stylo opus sit et huius cura esse debeat, difficilius hunc ita servari, ut non incommodo aliquando vocabulo istius puritas et decor temeretur, quod non fiet, si ex charta pronuntientur ea, quae limam repetitam prius sensere. Ast ut elegantiae styli impendatur ulla cura, ex iis esse autumo, quae Collegii fini haudquaquam respondent, quandoquidem hic non est, ut placeatis invicem, sed ut prositis. Non etiam veto, ut meditationes privatae in chartam coniiciantur, quod non ex una ratione consultum esse potest. Tantum hoc volo, praestare, ut ipsa enarratio publica sermone liberiori instar privati collegii instituatur. Cum enim non intellectum solum erudiri, sed et animos moveri isto exercitio cupiatis, quod de charta legitur, vim dicendi magna ex parte perdit adeoque scopo isti minus congruum est. Ex vivo vero affectu quod fluit, aperta fronte, vividius est, ac fortius penetrat, animumque dicentis aequae atque audientium vehementius afficit. Evitabitur quoque tanto rectius studium colligendi flores variasque sententias, remoram maioris fructus, ac in chartam coniiciendi. Quodsi enim in dicendo locum illis non dari ob imbecillitatem memoriae animadvertent, sed familiaris Colloquii pii instar enarratiunculam suam instituere assuescent, supervacaneum istum undique colligendi laborem sentient, ac, quod suppetit tempus, in attentam devotamque meditationem impendent. Atque ita tanto felicius atque promptius discent rationem privata inter amicos et familiares per omnem vitam, quocum-

que olim fungantur munere, instituendi de rebus piis, honestis et ad regnum DEI pertinentibus Colloquia: qui fructus Collegii haud est postremus. Priori affinis est altera observatio, quod existimarim, utilius vernaculo sive Germanico sermone pias meditationes enarrari, saltem illius et Latini sermonis promiscuum usum admitti. Consilii ut ratio constet, hanc solam sufficere creuiderim, quia et maior attentio adeoque et devotio servari potest, si de verbis nulla plane cura, sed animus in rem substratam unice defixus sit, quam bene cognitam sponte sua verba Germanica apud eum, qui fandi non omnino imperitus est, non quaesita sequuntur. Ubi vero Latino idiomate utendum est, fieri non potest, quin, cum omnes Collegae non possint usu et exercitatione, imprimis in illis studiis Theologo non propriis, esse pares, aliqui textum Romana lingua enarraturi, de verbis magis sint saepe solliciti, quam de rebus, ut ne verbum excidat ineptum, phrasis non bene Latina, constructio criticis non omnibus probata, unde risum audientium vel ignominiam expectare necesse habeant. Praeterea exercitiores etiam alii, auditorum applausu et aura capti, facile adduci poterunt (meminimus enim, quod homines simus), ut magis magisque elegantiam sermonis et flumen magis affectent, quam rei ipsius fructuosam explicationem respiciant. Hinc mox animis illorum subrepet vel invitis arrogantia quaedam, ut dona sua et Latii decora magis mirentur ipsi, quam aedificationem aliorum quaerant. Item porro in contemptum minus peritorum Collegarum proni dilabentur, quod fraternam dilectionem, Collegii scopum, everteret simultatibusque, cum nemo alteri eruditionis laude cedere vel contemni velit, ansam daret: quae omnia incommoda vel prorsus evitabuntur vel mitigabuntur saltem, si Germanica lingua vel paulatim in toto introducatur exercitio vel pro arbitrio cum usu Romani idiomatis misceatur.

Sed vel tandem Epistolae, cuius iam modum egressus sum, finis imponendus erit: quis vero alius, quam ut in votum desinam, quo DEUM Opt. Max., Patrem Luminum, a quo *πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον*, pie veneror, qui exercitio vestro magis magisque benedicat. Impleat ipse mentes vestras sui Spiritus luce et igne, ut veritatem eloquiorum ipsius sine errore intelligatis et eius amore toti ardeatis; aperiat Vobis penetralia verbi et sapientiae suae adyta, ad quae intromissi videatis, quae non vident omnes, et subinde aptiores reddamini ipsius servitio in munere, cui quemque aeterna eius sapientia destinavit; imprimis pectoribus inscribat vestris, quae in Sacris Literis legitis, ut vivae sitis epistolae, Spiritu DEI vivi scripti, in quibus aliquando sibi salutaria legant, qui vestrae curae concrediti ab ore pendebunt vestro et regentur exemplo. Idem etiam amorem verbi sui magis magisque dilatare eoque eorum quoque animos implere velit, qui hactenus quibusvis aliis humanae eruditionis, qua mens immortalis nunquam satiari potest, dapibus famem explere suam frustra tentarunt, ut gustent, quam suavis sit DOMINUS, quam dulcia omnique melle dulciora eloquia ipsius, et in hoc ipso aliquid futurarum deliciarum praesentiant. Verbo Salvatoris omnia dicam: Sanctificet nos omnes in veritate sua Pater, verbum ipsius

veritas est. Huic pie commissi Valet, et eius, qui nec vestri immemor erit, coram DOMINO mementote. Scrib. Dresdae pr. Kal. Quintil *).

C. *)

Ad Studiosos Theologiae, cum eorum institutum inter se Collegium Biblicum optato successu non gauderet.

Quantum apud me excitatum gaudium, cum tertio abhinc anno, ut non ipsi solum sacris meditandis literis ante omnia alia studia vacaretis, sed aliis etiam laudabili hoc exemplo ad eandem diligentiam fieretis autores, divina bonitas vos impulit, quantum pariter idem apud me toties renovatum est, quoties conatus ex voto succedere auditorumque frequentiam vel durare vel crescere accepi, tantum me afflixit, cum non uno autore mihi superiori anno referretur, institutum Collegium decremenda gravia passum esse, nec eadem facie, quam initio induerat, superare. Non vestram, mei Optimi, aliquam accuso negligentiam, vel in urgendo proposito lassitudinem, cum potius, a quibus illae querelae ad me delatae sunt, vestram constantiam laudarent et digno decorarent testimonio: sed aliorum, quorum commodis servire illa studia poterant et iam negliguntur, succenseo pigritiae, vel quicunque tandem, certe illaudabilis, affectus illos abstinet; vestrae condoleo diligentiae, quae magna fructus sui et aliqua honesta, quam exinde concipiebatis, laetitiae parte iam fraudatur, inprimis vero nostri temporis ingemisco infelicitati, cum observo, conatus quosvis optimos et ex quibus plurimum boni nobis promittimus, nescio quo divino, quod obstare videtur successibus, iudicio, variis obstaculis, si non reddi irritos, saltem saepius interrumpi et impediri, ut primis ultima, successus desideriis et spei rarius respondeant. Maecte vero pietate et virtute vestra, Amici exoptatissimi, quod nec ista vestra, si priori componatur numero, solitudine Vos ab urgendo, quod suscepistis, negotio abstrahi patimini, sed si vel pauci, si vel nulli, qui ex vestris colloquiis proficere studerent, auditores confluant, divinum verbum eius dignitatis propriosque vestros ex eo profectus tanti pretii esse creditis, ut laboris ea causa suscipere soliti poenitudo vos nunquam subitura sit. Quo certe sensu cum sitis, non fallimini, et, quod spero, perseverantia in eo, quod coepistis, vel tandem plures iterum alliciet. Cum vero vestram ex merito laudo sapientiam, qui, quod caput theologicum studii sit, nimirum solida cognitio scripturae coelestis, ex qua scaturigine nisi quae fluxerit, divina veritas nequitam praedicari valet, rectissime agnoscitis, adeoque uni illi prae aliis necessario praecipuam impenditis operam, ita omni iure eorum damno vecordiam, qui, cum

*) Epistolam hanc a. 1687. scriptam esse, schedula saepius iam commemorata discrete indicat. Cf. p. 21 sq.

**) Ita inscripta haec epistola in *Consil. theol. Lat.* T. II, p. 669 — 672. reperitur. Ad Collegium vero Philobiblicum eam datam esse, iam supra p. 22. coll. Not. 50. vidimus.

Theologiae nomen dederint et aliquando gregem dominicum pascere cogitent, se vel illud ex dignitate tueri, vel huic muneri apti fieri sperant, neglecta studii ea parte, quae merito princeps est et a qua reliquis sua vita, sua virtus, suum decus; inprimis quando omne momentum, quod a pluribus fieri cum dolore percepi, in uno hoc situm miseri sibi imaginantur, si sermones ad populum habendi externam didicerint formulam, regulas et quaedam specimina vel exempla, de illis minus solliciti rebus, quibus aliquando formulas illas adhibere deberent. Unde non potest fieri, quin male consulti tales, ubi cerebrum impleverint Oratoriae, quam vocant, Ecclesiasticae praeceptis et disponendi, amplificandi, exornandi, eloquendi legibus, insuper habitis studiis realibus, inprimis vel illis, quae textum sacrum profundius rimari et ex illo, quae nostrae aliunde salutis serviunt, propria industria eruere docent, ubi aliquando in Ecclesia dicendum est, conciones habeant, in quibus, quod probes, nisi methodi affectatae observantiam, vix invenias, certe Spiritus vim, quae divinae veritati non acri inhaeret, inde nullam vel exiguam sentias. Similes sane homines isti mihi videntur iis, qui calceorum conficiendorum formam operose didicerint, sed corii comparandi nullam curam habuerint, unde demum ex panno, charta aut materia ineptiori caleos consuunt satis affabre, sed exigui usus. Hac causa optarim, ab ipsis praeceptoribus studiosos saepius moneri, ut de tempore, quod plerique in academiiis non tam prolixum exigunt, prudenter dispensando inprimis solliciti essent, eaque tractarent, non quae utilia, sed quae ipsis praesertim utilia, non quae usum aliquando habere possunt, sed quae ante omnia maxime necessaria sunt. In his vel haud dubie primum locum obtinet verbi divini genuinus intellectus et ex illo veritates dogmaticas et practicas eliciendi prudentia. Apud quem ista, si etiam, Homiletico studio ut operam daret, rationes eius nunquam passae sunt, coram Ecclesia magno cum fructu loquatur, cum nullo vero vel exiguo, qui omnes formulas methodorum callet, sed scripturas nescit. Quam praestaret ergo Homiletica exercitia pauciora, plura Exegetica institui. Et qui in illis studiosorum velificantar desiderio (quamvis enim, ut ingenue fateor, tota vita mea collegium, ut loquuntur, concionatorium ego nunquam ne quidem auditu frequentaverim, aliis tamen, qui ea methodo se iuvare existimant, id non invideo), simul diligenter inculcarent, parum eos profecisse, si dicendi artem didicerint, eorum, quae dicenda sunt, solida cognitione non imbuti. Frequenti certe *παρουσία* ab illis, qui ipsa Homiletica tractant, plurimos auditores ad Exegeseos sacrae amore moveri valde posse, non ambigo. Sed quo dilabor? Vobiscum mihi iam res est, qui longe rectius vobis consulitis, et aliis, si velint obsecundare, consulere parati estis, encomio digni, nec alius *προσφωνήσεως*, quam ut eadem viae insistere pergatis, indigi. Itaque quod facitis, facite, posthac etiam gratia coelesti adiuti, quam potestis strenue, nec, si labores vestros pluribus, quod optandum fuerat, ista quidem vice non prodesse conspiciatis, lassamini, certi, operae illud etiam fore pretium, quod ipsimet exinde percipitis, nec apud cordatos rerum ae-

stimatores conatibus defore elogia, imo, si perseveretis, aliis constantiam vestram novum stimulum, ut neglecta repetant, iniecturum. Interim dum fere soli agitis, utimini commoditate, quae ipsa hac solitudine offertur, et quando, uti opinor, theoretica studia iam pridem ita excoluistis inque illis gradum illum attigistis, ut eorum profectui colloquia vestra exegetica accommodare necesse non sit, aliquamdiu, quicquid meram eruditionem sapit (atque ab initio, dum plures auditores, et ii quidem diversorum affectuum et desideriorum, ut cunctis satisfaceret, plura requirebant), magis necessariorum videbatur), seponite, omnem industriam illi curae impendentes, ut congressibus vestris piis ex verbo divino non tam doctiores evadatis, quam meliores, nec intellectus toties nova cognitione impleatur, quam affectus nova ad obsequium regularum Christi *δραμῶν* incitetur. Hoc si probetur, et in timore DOMINI denique inter vos constituatur, non tam quae aliis, quam quae Vobismet ipsis, in eruditionis studio tanta spatia iam emensis, praecipue profutura sint. Hoc est, quae non Scholae sed vitae serviant, tractare. Polliceri ausim, ex benedictione coelesti illos secuturos profectus pium hoc institutum, quos nulla eruditio suo aequet pretio, sed etiam id unum inprimis agi si intellexerint plures, affluxuros alios omnes, quibus propriae salutis, quam eorum, quae ad vitam lucrandam, aut nomen consequendum faciunt, cura potior est. Alibi etiam, ubi ab eruditionis exquisitoris studio ad talia, quae necessaria universis sunt, transire visum est, evenisse et benedictionem divinam uberiores secutam memini. Sed haec et alia omnia vestrae, quando praesentes, quae maxime prosint, rectissime arbitrari potestis, prudentiae committo, huius vos certos esse iubens, quod non desistam, institutum vestrum salutare, quod sementem uberiores adhuc longe messis fore, licet nondum prospiciam, haud despero, Patri supremo, omnis boni perfectique doni datori, pie commendare, qui Vos Spiritu suo impleat, spiritu sapientiae et prudentiae, spiritu roboris et timoris Domini, qui laboribus benedicat, qui exemplo vestro innumeros alios ad verbi divini cultum diligentissimum excitet et universum nos in veritate sanctificet sua, quae verbum DEI est. Valete, optimi, commendati OPTIMO, et huius gratiae perpetuo fruimini.

Dresdae 4. Ian. 1689.

D.*)

De Collegio Philobiblico Lipsiensi.

Quae Tuo et totius Collegii Philobiblici nomine a Te scriptae, nudius quintus mihi exhibitae sunt, sed eo tempore, quo per eosdem tabellarios respondere non erat integrum. Collegio vestro ab Exc. D. Alberto praesidium et hospitium negatum esse, valde miratus sum, cum hactenus illius fructus plurimi fuerint, et si qui, quod ne-

*) Vid. *Consil. theol. Lat. T. II. p. 708.* Ad M. Stollium has literas datas esse, iam p. 34. cognovimus.

scio, irrepsissentabusus, isti etiam facili negotio corrigi potuissent. Ast de consiliis aliorum et rationibus factorum iudicare meum non est. Cum autem sententiam meam exquirere placuerit, suasor fuerim, ut Lectores eius Collegii Exc. D. Olearium conveniant, et ab eo praesidium petant, quod non negaturum confido, nec alium ex Venerando Theologorum ordine video, cui negotia sua aliaeve rationes aequae functionem istam concederent. Si vero in legibus aliqua ille desideraret, quod equidem nescio, potestatem facietis statuendi, quod profectui credet conducere. Porro quandoquidem temporis huius conditio suadere videtur, ut non solum auctoritatem atque nomen Praeses commodet, verum semper praesens existat, saltem rarius absit, aequum fuerit, laborem istum aliquo honorario ab illis, qui proficere cogitant et, quod solent, habent, pensari. Vale cum amicis et commilitonibus in DOMINO, qui verbum suum subinde opulenti in populo suo habitare faciat omnesque eius amatores multa benedictione perfundat.

Dresdae 8. April 1690.

II.

Augusti Hermannii Franckii Enarratio Cap. 7. Gen. a v. 10. usque ad 17., prolata in Coll. Philobiblic. d. 29. Iun. A. D. M. DCLXXXVII).*

I. ΣΥΝΑΨΗ textus.

Totum caput commode dispescitur in 6 partes. Erit (1) mandatum de ingrediendo, (2) praeparatio ad ingressum, usque ad v. 10. (Haece iam tum pertractavimus.), (3) adventus diluvii, ad v. 13., (4) ingressus completus, ad v. 17. Harum nunc prae manibus est tractatio. Restabunt futuris conventibus pars (5), graphica diluvii descriptio, ad v. 21. et (6) effectus diluvii.

Partis tertiae Propositio habetur v. 10.: *Fuerunt aquae super terram.* Ea explicatur (1) per circumstantiam temporis, tum ratione praedictionis divinae, v. 10., tum ratione aetatis Noachicae, v. 11., tum ratione ipsius anni, ibid., (2) per causas ministeriales, partim inferiorem: *rupti sunt fontes* etc., partim superiorem: *apertae sunt* etc., v. 11. et 12., (3) per durationem incrementi aquarum, v. 12. Pars quarta describit (1) ingressum, tum ipsius Noachi et familiae eius, v. 13., tum animalium, v. 14., (2) modum tum in specie ad animalia spectantem, nempe secundum paria, v. 15., utrumque sexum, v. 16., tum in genere, nempe secundum mandatum divinum, (3) ingressorum plenariam protectionem, v. 16. *Διχοτομία* magis anxiam textus historicus non requirere videtur.

*) Huius Biblicae enarrationis hactenus ineditae iam p. 4. et 12. Not. 22. mentio facta est.

II. Ἐξηγήσεις, quoad ea, quae in superioribus nondum explicata fuerunt, una cum Applicatione ad pietatem.

Fuerunt aquae diluvii super terram] Non dicitur: ceciderunt, effusae sunt etc.; haec et similia verba designarent aquas venientes, verbum fuerunt autem aquas praesentes. Dictum factum. *Applicatio.* Agnoscamus hic vim ac sublimitatem styli Sp. S., omnipotentiam divinam ita pro dignitate exprimentem. Summum opus omnipotentiae divinae creatio. En ibi eundem stylum Sp. S. Dixit Deus: fiat lux, et fuit; sint luminaria, et fuerunt. Agnovit hoc Longinus, Porphyrii praeceptor gentilis, p. 58. περὶ ὕψους: Iudaeorum legislator, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, quandoquidem numinis potentiam pro dignitate notam fecit declaravitque, statim initio prooemii legum suarum scribens: Dixit Deus, inquit, quid? fiat lux, et facta est, fiat terra, et facta est. In praecedentibus quam abiecte loquitur de Homero: Homerus mihi videtur, cum tradit vulnera Deorum, factiones, vindictas, lachrymas, vincula, varias et multas clades, homines, qui in bello apud Ilium gesto interfuere, pro virili Deos facere, et contra Deos homines voluisse. Inepti igitur, qui adhuc stylum profanum prae sacro aestimant. Fuse haec tractantem vide W. Frantziū in praefatione aurea tractatus de interpretatione*).

Et fuit post dies septem] Hic probe advertendum, haec esse referenda ad v. 7. atque sic dies illos 7 numerandos esse a praedictione divina. Obiter enim textum intuenti videri possent referenda esse ad proxime antecedentia et ad ingressum Noachi in arcam. Probatur id ex coll. v. 13., ubi expresse dicitur, quod Noachus eo ipso die ingressus sit, quo diluvium coeperit. Ergo non venit diluvium, postquam iam dies 7. ingressus esset. Inde sic fluit sensus: Cum etiam 7 illi dies, quos Deus praedixerat adhuc futuros esse, transivissent. *Applicatio.* I. Manifestum hoc est exemplum veracitatis divinae in complendis minis. Unde sequitur II., poenitentiam non esse differendam de die in diem. Sir. 5, 8. Deus enim etiam ipsum diem habet praefinitum, quo peccatores non resipiscentes vult punire. Imo statuit diem, quo iuste iudicaturus est orbem terrarum. Act. 17, 31. III. Deum non poenitet poenae, quam decrevit, nisi homines poeniteat peccati. Unde nulla spes peccatoribus prae fractis, nisi ipsi immutentur in melius et ad frugem redeant.

Mense secundo] Subintellige: Anni. Quinam autem per hanc ἀντονομασίαν mensis intelligatur, difficile dictu est. Difficultas omnis inde est, quod Hebraei duplici ratione soleant annum computare, et in profanis inchoare a Tisri, qui est September, et hac ratione h. l. October foret intelligendus, in sacris autem a Nisan

*) Wolfgangi Franzii Tractatus theologicus novus et perspicuus de interpretatione sacrarum scripturarum maxime legitima. Vitebergae 1619., item 1634. 1654. 1668. 1693. 1708. 4.

s. Martio, et hac ratione esset h. l. Aprilis et ex parte Maius. Fateor, argumenta, quae in utramque partem afferuntur, mihi non nisi probabilia visa esse. Unde cuiusque iudicio suo libero relicto, verisimilius tamen esse putarim, intelligi computationem secundum annum profanum, praecipue quod rationem computandi annum sacrum ab aequinoctio verno Deus demum constituerit. *Ex. 12, 2.* Adde, quod miracula non sint multiplicanda sine Scriptura vel ratione. Ita enim aquae ferventi aestate crevissent et frigida hyeme decrevissent. Noah autem fructus terrae quando collegisset? Tuentur hanc sententiam Lyra, Ios. Scaligerus, Drusius, Lightfootus. Contrariam ipse B. Lutherus etc. *Rupti sunt* נבקעו Coniugationis et significationis Niphal (contra versionem Tremellii et Lutheri). *Rupti sunt* sc. a Deo, quippe qui extraordinario modo in diluvio immittendo operatus est. *Moses hoc in loco*, ait ipse Lutherus, *vigilanti et signato verbo dicit: Abyssos ruptas. Vult enim ostendere, quod divina virtute fuerint clausae et tanquam sigillo Dei consignatae, sicut adhuc hodie sunt. Deum autem non aperuisse eas clavi, sed violenter rupisse, ita ut Oceanus quasi ebulliens omnia aquis operiret.* Haec emphasis multo clarior erit e collatione *Iob. 38, 8* seqq. *Ps. 33, 7.* *Ps. 104, 5* et seqq. *Prov. 8, 29.* *Ier. 5, 22.* Quos enim in singulis illis locis Deus mari in creatione dicitur posuisse terminos, eos nunc iterum dicitur rupisse. Certe ubi in hoc argumentum eloquentia sacra incidit, tam magnificis verbis utitur, ut nulli scriptores profani possint ad eam orationis maiestatem accedere. Unde hic etiam Scriptura loquitur per ἀνθρωποπάθειαν, ut absque ea hic sit sensus: Deus verbo suo potenti non amplius cohibuit aquas, sed secundum naturam suam passus est eas grassari et evagari. *Applicatio.* Inde I. novum argumentum est, causam diluvii fuisse supernaturalem. II. Hic admiramur singularissimum opus providentiae divinae. Imo III. usum epanorthoticum verbum hoc suggerit contra homines securos et providentiam generalem aliquam, non specialem cuiusque individui statuentes. Vid. omnino *Sir. cap. 16, 16* sqq. etc. *Fontes abyssi*] Potest intelligi tam ipsum mare, quod profundum vocatur *Iob. 38, 16. 30. c. 41, 12.* *Ps. 106, 9.*, quam immensa illa et profunda aquarum copia, quae est subter terram, quae etiam una abyssus possunt vocari, quia aquae illae inter se per venas saltem aliquas communicantur. *Magnae*] רבה significat tam quantitatem discretam quam continuam, s. per multum et magnum potest explicari. Posterior significatio optime respondet (1) nomini in singulari numero posito, (2) causae *Gen. 6, 5.* *Fenestrae coeli apertae sunt*] Hebr. ארברת sive per fenestras s. per cataractas seu obices exponas, sensus patet partim ex locis parallelis *Es. 24, v. 18.* *Mal. 3, 10.*, ubi insigni copiae coelitus immissae tribuitur, partim ex opposito *Luc. 4, 25.*, ubi tempore famis coelum clausum dicitur, partim ex adiecto verbo *apertae sunt*. Unde simpliciter statuimus, esse locutionem metaphoricam, et innui tam copiosam et condensatam pluviam, ac si fenestrae quaedam coeli apertae

essent, non, ut alias, quando pluit, aqua videtur quasi ex poris nubium destillare. Clarius apparet hic sensus ex verbis, quae ἐξηύςως gratia adiciuntur: *et fuit pluvia super terram*]; vox דשא enim significat pluviam vehementem, cum fragore ruentem et vi quadam incumbentem, utי מלח est generale, quod quaecunque pluviam significat. Exagitant extraordinarium hunc causarum ministerialium concursum Athei: sed, praetermissis nunc aliis responsionibus, quae ex antecedentibus memoria repeti possunt, ablegamus eos ad locum Senecae Lib. 3. Cap. 27. *naturalium quaestionum*, textui nostro, si fas est ita loqui, parallelum, qui propterea legi ab omnibus mereatur. *Sed monet me locus* etc., non quod, ut in aliis diluviis particularibus, ita et in hoc universali cum gentili philosopho acquiescamus in causis naturalibus, sed quod possibilitatem tot concurrentium causarum universalis exitii etiam homo a vera Dei cognitione alienus adstruat. Hoc autem in loco concursus tot causarum fuisse supernaturalem, non uno argumento ex antecedentibus nobis constat. *Applicatio. I.* Discimus autem ex hoc causarum concursu, nos ideo periculo non carere, quod terra nostra nec mari circumdata, nec magnos et exundantes in vicinia habeat fluvios, nec in eo nos multo feliciores esse illis nationibus, quae tam frequentes terrarum suarum inundationes experiuntur. Unius enim rei plures sunt causae. Deus si nolit unius, alterius uti potest creaturae ministerio, ut nos perdat. Imo maius, vel certe non minus miraculum est, tantam nubium molem non ferri deorsum, quam aquas suis includi cancellis. *Sed*, vere Lutherus ait, *nos consuetudine tantarum rerum quotidiana quasi excoecati nec videmus, nec miramur eas. Quod igitur non singulis momentis obruimur aquis, tum superis tum inferis, id debemus divinae maiestati, quae ita mirabiliter ordinat et conservat creaturas, atque ideo etiam praedicari a nobis debet.* II. Cum homines intervertunt ordinem Dei, Deus etiam intervertit ordinem naturae etc. [40 dies et 40 noctes] Non simul perdidit omnes, sed paulatim, ut spatium poenitentiae concederet. Hinc I. argumentum longanimitatis divinae. II. Usus paraeneticus: Praefraeti peccatores si sentiant mala epidemica ingruere, poenitentiae spatium ultimum esse credant. *Siehest du nicht, dass dich Gottes Güte zur Busse leitet?* III. Admonemur etiam, ne subito damnemus eos, quos Deus malis epidemicis abripuit; potuerunt uti longanimitate divina.

v. 13. *Illo ipse die*] In hac quarta parte capitis tria sunt praemonenda. I. Hic non repeti plane eadem, quae supra dicta fuerunt a v. 6. huius cap. ad 10. Ibi enim traditur praeparatio ad ingressum (verbum completum inchoative explicatur v. 6.), hic plenaria ingressio. Licet hic deprehendere lapsus interpretum. II. Quaeri potest, cur eadem pars quarta postponatur tertiae, quae videtur praeposenda fuisse; ingressus enim antecessit diluvium. Non licet in talibus semper divinare intentionem Sp. S. Videtur tamen, si consideremus emphasin phraseos: *illo ipso die* etc., ideo id factum esse, ut eo magis pateret praesentissimum periculum et summa Noachi fides.

Dies adventarat, hora instabat, qua periturus erat mundus, et Noah adhuc erat extra arcam; tunc demum ingrediebatur promissionibus divinis innixus. Nostrae quoque res interdum in eum adducuntur locum, ut nesciamus, an et quomodo hunc diem, hanc horam transigere queamus. Tunc igitur non abiiciendus animus, sed promissionibus divinis erigendus etc. III. Etiam si hic non repetantur plane eadem, quae supra dicta fuerunt quoad rem, tamen pleraque quoad verba repetuntur. Ubi pie observat Lutherus: *Diversum faciunt Poetae et Historici, hi affectus varios fingunt, multi sunt in amplificatione rerum, et verba magno numero cumulant. Sed Moses verbis utitur brevibus, repetit tamen ea saepius, ut ipse Lector sic admonitus de magnitudine rerum cogitet, et ipse sibi affectus fingat veros, non legat alienos.* Non repugnat emphasis idiotismo. Alias notum est, ab Orientalibus eadem solere repeti in executione, quae fuerunt in mandato etc.

v. 14. *Omnis bestia, omne iumentum et omne reptans*] Hic quaedam diversa ab anteced. — חיה in oppositione ad בהמה vocatur bestia fera, ut Gen. 37, 33. Ps. 50, 10. Es. 40, 16., בהמה vero animalia domestica, ut Gen. 8, 1. c. 37, 33 etc. Maior etiam verborum apparet in illis verbis כנף וכל כנף, ubi tres diversas avium species sine fundamento statui existimamus etc.

v. 16. *et occlusit Iehovah post eum*] Luth.: *der Herr schloss hinter ihm zu.* LXX.: *ἐκλεισεν αὐτὸν.* Placet רשׂי, hoc est: סגר כנגדו מן המים. *Sensus literalis huius textus est: occlusit e regione eius ab aquis, et ita בער semper sumitur in Scr. in significatione כנגד.* Opus scilicet erat, ut ostium exterius clauderetur et tota arca probe muniretur, ne vis aquarum posset perrumpere. Hic autem Noah, qui iam ingressus erat, nihil amplius agere poterat. En caput omnis solatii: Ubi humana media cessant, Deus est auxilio.

Benedictus sit Dominus, Deus noster, qui est iustus iudex in iudicandis praefractis peccatoribus et infinite misericors in conservandis piis. Gratias Tibi agimus, Pater coelestis, quod et iustitiae et misericordiae Tuae exemplum e Sanctiss. verbo Tuo nobis monstraveris. Fac, ut ex utroque proficiamus, ut desistamus a peccatis et morem geramus Spiritui S. Tuo ob peccata nostra nos corripienti, ne in vehementia irae Tuae abripiamur, ut indesinenter ambulemus coram facie Tua, ut tempore ingruentis mali inveniamus gratiam in oculis Tuis, Tuque nos clementissime protegas et abscondas. Incolumem serva ecclesiam Tuam, ne fluctibus persecutionum, contemptus verbi Tui aliisque malis obruatur et inundetur. Obstrue fores, ne irrumpere malum possit, quod ante fores est; tandemque si hunc spiritum nostrum in Tuas manus commendaverimus, occlude sepulcrum nostrum, et in extremo die iterum reclude, ut Tecum vivamus, Tuumque sanctissimum nomen celebremus in secula seculorum. Amen!

M. Augustus Hermannus Francke, Lubecensis.